

Christian Kortholt Paul Parisius


De Hostiis Eucharisticis, sive placentulis orbicularibus, Ecclesiis invariatae Augustanae Confessionis addictis in S. Coenae administratione usitatis, an verus panis sint, Disquisitio

Rostochii: Kilius, 1665


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747402167>


Druck Freier  Zugang





K. K. — 2 (104.)





DE
HOSTIIS EV-
CHARISTICIS,

sive placentulis orbicularibus;

Ecclesiis invariatae Augustanae Con-
fessionis addictis in S. Coenae administra-
tione usitatis, an verus panis sint,

DISQUISITIO,

Quam

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,

Venerandi Collegii Theologici

suffragio,

PRÆSIDE

CHRISTIANO KORTHOLT,

S. Theol. D. & P. P.

publicae ventilationi,

In Auditorio Magno, ad d. XII Julii,

committit

PAULUS PARRHYSIUS,

Stargard. Pomeranus.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Anno 1665.

DE
HOSTIIS EV-
CHARISTICIS
sive placentibus episcopatibus
Hoc est in vobis Augustinus Con-
fessionibus in 5. Capite admodum
disputatio
IN ACADEMIA ROSTOCKENSIS
Veneranda Collegii Theologiae
Praeside
CHRISTIANO KORTHOLT,
S. Theol. D. & P. P.
PAULUS PARRHYSIUS
Rostochii
1710



DE
HOSTIIS EVCHA-
RISTICIS.



Er vetusta consuetudine
certoq; consilio introductum est,
ut in sacrae Coenae administratione
adhibeantur placentulae rotundae,
quas vocant *hostias* seu *oblatas*. Sune-
que placentulae istae hodie etiam
num usitatae ecclesiis quae Augusta-
nam Confessionem sincere ample-
ctuntur. Acriter vero in illas in-
vehuntur quidam ex Reformatis, ut
vocant, scriptoribus, quando non
tantum pertinaciter negant, hostias

nostras verum panem esse, sed & immanibus convitiis rem gerunt.
Unus omnium loco prodeat Johannes von Wünster / cujus haec sunt
verba in Cane latrante pag. 53. seqq. Wie die Ostien ein falsch/
neuerfundenes / unkräftiges Schaumbrodt / und nicht Pfanken
des Himlischen Vaters / Matth. 15. v. 23 sondern des Pabsts seyn: also
auch der Christus / welcher in unter / mit und neben denselben Ostien
wesentlich und leiblich an allen Drien / da die Messe gethan / und sie ge-
reicht werden zugegen seyn / und von Guten und Bösen mündlich ge-
gessen werden soll / ein unkräftiger / erdichter / falscher Christus / und
nicht ein Sohn des Vaters / sondern des Pabsts und Ubiquitisten
Hirn

Stengös ist. Der Ubiquetisten Christus bricht die Hostien nicht mit
seinen Händen: Ja er hat kein Brodt zu brechen. Non-entis nullæ
sunt qualitates. Wann man den Sachen anders nicht rathen/und
kein Brodt haben köndie / so hätte es wol einen schein mit den Ostien:
aber iht ist es nicht nötig daß man den Päßstern nachlauffe Ostien zu
kauffen. Der Ubiquetisten Christus lässe in statt des Brodts
Schaumbrodte und Ostien ausheilen. Die Ostien sind ein auß-
erlesen Kenn- und Feldzeichen des falschen/neuen und unrechten Chri-
sti / des Pappsts und Ubiquetisten. Vor allen andern hat man die ge-
ringere Kennzeichen / als Weihwasser / Palmen / Kerzen / und
respective Messgewand (die doch die Ubiquetisten und die zu Osna-
bruck auch noch gebrauchen) Kräußgänge / Fahnen / Ablassbriefe/
Kappen / Platten / und des ungezeiffers mehr/ganz und gar/als des
Teuffels Gestalt/ ausgerottet/ und nicht billichen können: wie kan man
das allerhöchste und deutlichste Feldzeichen des Ant-Christi/ nemlich
die Ostien/darauff das ganze Pappstum stehet /bey richtigen Christen
dulde/zulassen und beschönē? Die Hostien werden etwa daheim von ei-
nem Mañe oder altem Weibe unflätig gnug/ auch mehrentheils in der
Mönche Klöstern/zubereitet/ und vielmahl mit Hundesett/ auff daß
sie aus dem Kucheyßen kommen können/geschmieret. Idem memorato
loco pag. 17. scribit: Wo ein falsch Brodt und ein falscher Chri-
stus ist / da ist auch ein vermeint und falsch Abendmahl. Wie
die Päßstler aus neuerfundnem falschen Schaumbrodte / welches sie
Ostien nennen/einen neuen und falschen Christum gezimmert und ge-
macht haben: also haben die Ubiquetisten eben dasselbe Bösen- und
Schaumbrodte / mit unterlassung der Heiligen Brodtbrechung/be-
halten/und in oder unter dem falschen und Schaumbrodte auch
einen zum Bösen/so der wahre Christus aus dem Saamen Davids
nicht ist / dargeshoben/ und die armen Leute damit betrogen. Hæc
ille von Münster. Aliis ex eadem schola hostiæ nostræ audiunt mi-
nutia numulariæ, nebulae Papales, levi momento dissipabiles, umbrae,
orbiculi Missatici, farinacea folia, tenues lamelle viscosæ, literis ob-
signandis loco ceræ Hispanicæ accommodæ, Kleisterwerck / runde
Spiegel-

Spiegelpläklein / zähe fleberhaffte Blänlein / Papiertüchlein
Brodtlose Pfaffenküchlein dünne Niplein / so keinem Brodt ähnlich /
auch nicht werth seyn daß sie Brodt heißen sollen; cujusmodi flores
ex Anatomia Marpurgensi, Heidfeldii Sphyngæ, Jodoco Naum, Zep-
pero, Pareo, Wendelino, aliisque colligere licet. Reformatis heic se
sociant Fratres Rosæ Crucis (vulgo die Rosen-Creuzer dicti) in syllo-
ge, qua disquiritur: an hostia sit verus, cibarius, & *συναγώμης* dictus
panis; Hanovix excusa, nec non Socinianorum quidam, ut Smalcus
contra Franzium disp. xii, Stegmannus in Proba, contra Botlaccum,
cap. iv, qui iidem placentulas seu hostias nostras verum panem
esse negant.

II. Periculosa profecto accusatio! Si enim hostiæ illæ, qui-
bus in Cœnæ administratione ecclesiæ nostræ utuntur, verus panis
non sunt, potiori profecto jure sacrilegii & mutilatæ eucharistiæ
postulabimur ipsi, quam ejusdem a nobis accusantur Pontificii, quan-
do sub una specie communicare jubent. Hi enim licet laicis dene-
gent calicem, Clericis tamen eundem concedunt: nos vero ne Cle-
ricis quidem sacra apud nos synaxi utentibus alium panem quam
hostias porrigimus: quæ proinde si verus panis non sunt, nec laici
nec Clerici in nostris ecclesiis integræ cœnæ fient participes. Atque
hoc est quod, præter Münsterum, urget Autor Christianæ Concordiæ
Neostadii anno clb lxxciii editæ, quando pag. 268, hunc in modum
scribit: Du sagst recht / daß man Brodt auff den Tisch des H. Ern
brauchen solle / du solt aber wissen / daß die runde Ostien kein recht na-
türlich bekandtes unnd gebräuchliches Brodt / sondern nur der
Schaum davon / oder sonst ein Kleisterwerck seyn. Derwegen ihr
den Communicanten das Brodt / gleich wie der Pabst den Layen den
Kelch/entziehet / und also dem H. Ern Christo sein Nachtmahl zurei-
set und zustümmelt: dann das Brodt so wol ein theil desselben als
der Wein.

III. Ut autem manifestum fiat, an justæ causæ adversariis sup-
petant, quare tantopere in hostias nostras detinent, operæ pretium
nos facturos existimamus, si diligentius aliquanto in naturam earum
inquiramus, & , num verus & substantialis panis sint, paucis dispici-
amus. Commodius vero id fieri vix poterit, quam si essentiam pa-
nis

nis in genere prius in considerationem vocemus, & deinde ad specialem panis nostri eucharistici sive hostiarum contemplationem descendamus.

IV. Itaq; describi haud incommode videtur panis in genere, quod sit *alimentum*, ex farina & aqua rite inter se commixtis & ab igne percoctis constans, crassiore humore per calorem externum assumpto, ad unam masticabilem & nutritiam consistentiam redactum.

V. Dicimus, panem esse *alimentum*. Quid vero illud? est *substantia composita*, ex natura sui apta ut in *substantiam viventis physici* converti possit, adeoque rei nutriendae nec omnino similis, nec prorsus dissimilis. Dicitur *substantia* esse, ut excludantur *accidentia*, quae alimenti proprie dicti vicem sustinere, & corpora viventia nutrire non possunt, cum surrogari nequeant in locum *substantiae* deperditae, & ex actione caloris nativi dilapsae. Vide Aristotelem in libro II de anima, cap. IV, t. XLVII. Qui & merito inde, libro de sensu & sensibili cap. V, refellit Pythagoreos nonnullos, quod asseruerant, quaedam animalia nutrirī odoribus. Quonquam enim ali quando odor, reficiendo spiritus, cerebrum foveat, & ad sanitatem atque vires aliquid momenti afferat, (quo pacto Democritus, cum ex senio deficeret, & morti esset propinquus, odore panis calidi naribus admoti triduo mortem remoratus esse, fugientemq; pene animam in corpore servasse scribitur Diogeni Laërtio libro IX de vita Philosophorum) attamen illud non est adscribendum odori per se, sed fumidae potius exhalationi, qualis nonnunquam e rebus odoratis effluere, & cum odore solet conjungi. Nec id statim proprie nutrire dicendum, quod vitales spiritus nonnihil recreat & refocillat, quando quidem illud etiam praestare valent medicamenta, quae tamen, quatenus talia, *alimentum* non sunt. Atque hoc (quod nec fumidae exhalatio possit in viventis *alimentum* cedere) inter alia inde probat Philosophus dicto loco, quia *alimentum* trahitur a ventriculo, odor autem cum adjunctis effluviis com meat in caput, ubi olfactus residet septorium.

VI. Dicitur porro *alimentum substantia esse composita*, ut inquam, corpus simplex, quale est *elementum*, non posse alimenti rationem

ionem obtinere, quamdiu purum manet & omnino simplex. Hoc
conceptis verbis docet Aristoteles libro de sensu & sensibili cap. v. τὴν
τροφὴν, inquit, δεῖ εἶναι σύνθετον. καὶ γὰρ πᾶ τρεφόμενα ἔχ
ἄπλᾶ ὄντα, oportet alimentum esse compositum: etenim quæ nu-
triantur non sunt simplicia. Et mox: ἔδε πὺ δ' ὕδαρ ἐδέλει αὐτὸ μόνον
ἀμικπνὸν τρέφειν. σωματώδες γὰρ πείναι δεῖ πὺ συνησόμενον.
ἐπιπλὺ ἤπειν εὐλογον πὺν ἀέρα σωματῶσαι. Gemina his invenies
lib. II de gen. & corr. cap. IIX, t. I. ubi Philosophus ex eo, quod a-
limentum constat variis elementis, ipsius nutriendi compositionem
colligit, sicut loco paulo ante laudato a compositione nutriendi ad
ipsius nutrimenti compositionem demonstrandam procedebat. Ar-
gumentum ejus tale est: Unum quodque nutritur ex iis, quibus constat.
(ἀπαντα τρέφεται πῖς αὐτῖς ἐξ ὧν περ ἐστίν) Sed vivencia nutri-
untur ex elementis inter se coalitis; Ergo ex illis constant. Mino-
rem probat exemplo plantarum, quæ cum minus videantur nutriri
pluribus, reapse tamen plura elementa in earum partu contineri inde
probat, quia agricolæ ad stirpes, segetes, herbas, aliaque e solo edu-
canda sustentandaque, terras aquis irrigant, ac fimo pinguefaci-
unt. Atque ex his constare nunc etiam potest, quare paulo ante
dixerimus, elementum non posse rationem alimenti obtinere, *quam-
diu purum manet & omnino simplex.* Quod enim elementa non
pura, sed mutuo commista, interdum nutrire possint, ex iis, quæ de
plantarum nutritione ex Philosopho allata sunt, facile liquet: idem-
que probatur exemplo animalium quorundam, v. c. serpentum, tal-
parum, forte & luporum (vide Aristot. lib. IIX Histor. anim. c. v.) *ter-
tam* in cibum vorantium; quæ sane terra pura non est & mera, sed
aquis, herbis, halitibus & vaporibus permista, vel terra limosa &
lutulenta, quæ varia insectorum plantarumque semina continet:
quemadmodum alias etiam de elementis constat, & alibi ex professo
docetur, quod apud nos nequaquam pura & sincera existant. De
Astomorum gente tradit Plinius lib. VII Hist. Nat. cap. II, quod solo
halitu aëris & odore vivat. Idem de Chamæleonte lib. IIX, c. XXXIII,
solus, inquit, *animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quam
aëris alimento.* Quæ si vera sunt, iterum heic locum inveniet illud
Aristo

Aristo

Aristotelis libro. ii. de gener. & corr. cap. ix. t. l. ὅπου ἓν δό-
 ξεσε μὲν ἐν τῷ φέει, πλείον τῷ φέει, Quaecunque uno so-
 lo ali videntur, pluribus aluntur. Alimentum enim istud non pu-
 rus aut solus aër erit, sed aliorum corporum permistione concre-
 tus Dixi: si vera sunt. Nam de Astomis quæ narrantur, fabulosa
 iudicat Strabo Geog. lib. xv. quanquam narrationi pondus addere
 nitatur Ludov. Cælius Rhodiginus, præter alia Platonici scientissimi
 & Medici doctissimi (verba ipsius sunt) sententiam & testimonium
 adducens lib. xxiv. Lect. ion. antiqu. cap. xx i. De Chamæleonte vero
 ita Scaliger, Exerc. cxvii, sect. iv: Johannes Landius, in ultima Syria
 cum esset, ait se vidisse, unum e quinque, quos emerat, Chamæleonibus lin-
 guæ repentino momentaneoque jaculatu muscam, quæ in ejus esset pectore,
 legisse. Propterea illius a se dissecti linguam narrabat inventam palmi lon-
 gitudine cavam, inanem In summa tanquam acetabulum cum muco, quo
 prædam tolleret. Id novum scire iis, qui solo vento vivere hæcenus existima-
 runt. Quicquid autem hujus, ex recentioribus certe illustris ille Comes
 Kenelmus Digbæus, magnæ Britannicæ Regis, quem truculenta
 parricidarum lecuri percussum nostra ætas vidit, Cancellarius, dis-
 sertatione de pulvere sympathico, Vidi, inquit, viperarum catulos nu-
 per exclusos, qui pollicis longitudinem hæc superabant: hi postquam in
 magna cucurbita, papyro, optimè quidem circum circa ligata, sed perfo-
 rata, ut libere aër ingredi posset, omnium tamen illis exitus prohiberetur, as-
 servarentur, sex, octo, vel decem mensium spatio in tam prodigiosam
 magnitudinem excreverunt, ut res fidem superet, idque factum est longè evi-
 dentius tempore æquinoctiorum, quo aër atomis æthereis atque balsamicis
 quasi redundat, quæ potenter ab his viperis attractæ, communicando suam
 illi virtutem balsamicam, anguinam in ipsis causabant vernationem.
 Hæc Digbæus: quæ in sua ad eundem Epistola confirmat Laurentius
 Straus, subjungens: Non tamen ausim credere, Astomorum gentem Pli-
 nii solo halitu aëris & odore, Chamæleontem vento nutriri, Olympiodori
 hominem sole & aëre vixitasse, Manucodiatem & Hay solo aëre vivere,
 ut multi fabulantur. Sed redeamus ad propositum.

VII. Ulterius de alimento asseritur, quod ex natura sui aptum
 sit ut in substantiam viventis physici converti possit Quibus ver-
 bis

bis innuitur, non statim illa alimenti proprie dicti nomine venire, quæ appetitu vitioso & depravato, vel singulari quadam naturæ constitutione, a subjectis aliquibus in cibos rapiuntur, cum eò nec destinata sint, nec per naturam sui eò usurpari debeant: ut cum nonnulli cretam, vitra, vasa testacea, pro cibis assumpserunt, a quibus natura recte se habens plerumque abhorret, aut quæ non nisi ultima necessitas in cibos vertere jubet, cum alias nequaquam talia sint, quæ in victum cedant. Vide Dan. Sennertum libro III Medic. pract. part. I, sect. II, cap. v. Pertinet huc, de Mithridate, Ponti Rege, quod narrant Plinius Histor. Nat. lib. xxv, cap. II, & Gellius Noct. Att. lib. xv II, cap. xvi, eum nempe veneno sic assuevisse, ut absque noxa illo frui potuerit. Unde Martialis libro v Epig. Lxxvii:

*Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
toxica ne possent sæva nocere sibi.*

Sane venenum ex se non esse aptum, ut hominem nutriat, nec eò destinatum, satis manifestum est: quia tamen consuetudo altera natura est (ut dici solet) ad ejus vim referri debet, quod substantiam, a qua alias plane abhorret hominis natura & conditio, sine læsione assumere potuit Mithridates. Nimirum, quicquid converti debet in substantiam rei viventis, ita suis qualitatibus afficit ventriculum, ut eum sibi quodammodo similem reddat. Quia vero a se simili nulla fit læsio, postquam longo usu & consuetudine ventriculus cum his illisve cibis, aut etiam cum veneno, affectionum convenientiam cognationemque obtinuit, simul consecutus est, ut ab iis, quamvis alioqui noxiis, non lædatur. Interim consuetudo illa aliter induci non potuit, quam sumpto ad prima initia veneno in exigua admodum quantitate, vel etiam præsumptis remediis: quæ quidem ratione Mithridatem heic se gessisse, indeque cuidam antidoto nomen antidoti Mithridatici dedisse, dictis locis testantur Plinius & Gellius.

II X. Ut autem clarius adhuc explicetur natura alimenti, additur tandem, illud rei nutriendæ nec omnino simile esse, nec prorsus dissimile. Quod quidem dupliciter intelligi potest. Primo, ut alimentum dissimile dicatur esse nutriendo ante concoctionem, eademque simile fieri per concoctionem: quo sensu de alimenti simili-

B

tudine

rudine & dissimilitudine agit Aristoteles libro ii de anima, cap. iv, t. xliii, seqq. Proponit nimirum ibi Philosophus dubium aliquod circa naturam alimenti, dicitque, quosdam asserere, simile illud esse oportere alendo; alios vero contrarium tenere. Hac interim distinctione veritatem explicandam esse docet, ut alimentum in principio nutritionis, antequam digestum & in substantiam alendi transmutatum, contrarium & dissimile dicatur, sed in fine, quando jam concoctum & conversum est, simile censetur. Atque sic ista sententiarum divortia sine difficultate conciliari posse concludit. Confer lib. i ix Phys. cap. vii, t. lv, & lib. i de gener. & corrupt. cap. v, t. xxxix. Deinde, quando alimentum rei quæ nutritur nec prorsus simile, nec omnino dissimile esse dicitur, sensus esse potest, quod utrumque etiam ante concoctionem ei competere debeat. Atque sic itidem assertionis istius veritas facile ostenditur. Si enim nutrimentum ante concoctionem rei nutriendæ omnino esset simile, nulla opus esset conversione in substantiam viventis; si prorsus dissimile, decoqui non posset, cum propter omnimodam naturæ discrepantiam nesciret ab alteratrice facultate vinci, & ad conversionem accommodari; quemadmodum de lapidibus, metallis, & hujus census aliis manifestum est. Unde etiam Aristoteles ad cibum requirit, ut *mediocrem lenitiam* habeat, utpote *sine qua corpori agglutinari nequeat*, Probl. sect. xxi, qu. ii. Confer Eustachium a S. Paulo parte iii Phys. tract. ii, disp. i i, qu. i, & Abr. de Raonis tractat. de Corpore animato, p. m. 205. Atque hæc de alimento: cujus natura tanto diligentius explicanda fuit, quanto pertinacius adversarii (ceus ex sequentibus patebit) panem nostrum eucharisticum (in cujus gratiam generalis hæc de pane *beveja* præmittitur) verum alimentum esse negat.

IX. Diximus præterea in descriptione panis, quod ex *farina* & *aqua* consistet. Ubi geminam panis materiam innuimus, quarum altera est farina; quam Bartholomæus Anglicus libro xvii de propriet. nat. cap. lxxvii *proprie dici* scribit, *quando frumentum inter moles optime est constractum, fursure nondum a medulla substantia separato*: quando enim flos medullæ a fursure sive cortice separatur, tunc *similam* seu *similaginem* nuncupari dicit. Nos vero in vulgari signifi-

ficatu heic farinae vocem capimus, prout notat interiorem frumen-
ti substantiam mola tritam & in minima redactam: quæ quidem va-
ria est, & prout ex tritico, siligine, hordeo, secali, paratur, vel nobili-
or vel ignobilior. Unde Plinius libro xix Histor. Nat. cap. x. *similago*,
inquit, *ex tritico fit laudatissima, & c. ix. & siligine laudatissimus panis*. Conf.
Cœl. Rhodiginum libro ix Lect. antiqu. cap. xvi, & Jacob. Pontan-
num lib. iv, Progymnasim. xlv. Loquimur autem de materia panis
vulgari & apud nos consueta: alias enim constat, nonnullis populis
in more positum esse, etiam plantas earumq; semina & radices, quin
pifces, in farinam redigere, indeq; panem pinere. Sic in insula
Vendemao, Sagu arbore utuntur ad panem, cui arbor ista dedit no-
men. Lignifrustum purgant a quibusdam quasi spinis, tundunt,
atque in pollinem redigunt. Hoc pane ad usum nautarum parant
commeatum, teste Scaligero Exerc. cl. i. x, sect. i. In India Orientali
radice, Iphia mech dicta, utuntur, ex cujus medulla farinam conte-
runt, indeque panes pinunt, qui triticeorum saporem habere dicun-
tur. Vide Fr. Balduinum libro ii Cas. consc. cap. xii, qu. i. ix. Ita
Plinius Hist. Nat. libro xxii, cap. xxi, *Est, inquit, Lotometra*
(herba) *que fit ex loto sata, ex cuius semine, simili milio, fiunt panes in*
Ægypto a pastoribus, maxime aqua vel lacte subacti. Idem Plinius lib.
vii, cap. i. i, ex Clitarcho refert, *Orisas* (populos) *nullum alium cibum*
nosse quam piscium, quos unguibus dissectos sole torreant, atq; ita panes
ex his faciant.

X. Altera panis materia est aqua. Quæ quid sit cum in vul-
gus constet, non opus heic est proluxa expositione. Id tantum
monemus, loqui nos iterum de vulgari & usitatori panem confici-
endi more, nec, dum panis materiam aquam esse dicimus, hoc ipso
penitus excludere alios liquores, utpote quos aquæ loco in panis
preparatione adhiberi posse, & interdum solere, non imus inficias.
Expressa Plinii verba sunt lib. xix Hist. Nat. cap. xi: *Quidam ex orie*
aut lacte subigunt; butyro vero gentes etiam pacate, ad operis pistorii ge-
nera transeunte cura. De lacte idem repetit loco num. ix laudato,
quando de pane ex lotometræ semine pinto disserit. Sic disputat
Aristoteles Probl. sect. xxi, qu. xi: *quam ob causam, cum mel tena-*
cius sit aqua, farina mulso subacta rigidior reddatur ubi decocta est, quam

aqua subacta; & quaestione xvi: *est farina aqua subacta melius coeas quam oleo subacta, quod tenacius est.* Quo ipso innuit, aquae partes etiam alia humida in panis confectione tueri posse.

XI. Requiritur porro ad constitutionem panis, ut *farina & aqua rite inter se commisceantur.* Scilicet, quia farinae in minima redactae partes ob siccitatem se solis non cohaerent, ut illae uniantur, & debito modo conglutinentur, corpus humidum accedat necesse est, quo cum misceantur. Quomodo autem fieri debeat illa mistio, non eodem modo ab omnibus exponitur. Marcus Fridericus Wendelinus libro 1 Theol. Christ. cap. xx iiii, th. xiii, ita hac de re loquitur: *Ut ex aqua & farina verus & cibarius panis fiat, non qualicumque ejus sufficit preparatio, duorumque principiorum materialium commistio, sed requiritur 1. ut iusta quantitate commisceantur, quo substantia inde evadat solida, corpulenta, & alendus hominibus idonea. 2. ut probe & cum labore subigantur & consoquantur.* Verum enim vero, quod ad iustam partium quantitatem attinet, notandum, illam certa ratione non definiri, nec in omni massa eandem esse posse, sed determinari eam, sicut & soliditatem, ab arte panificis, ita ut pro varia formae, quam pistor intendit, conditione, massa modo humidior, modo siccior, modo magis, modo minus solida sit. Nec istud Wendelino concedimus, quod ad omnis in universum massae preparationem necessarium sit, ut *cum labore* subigatur. Quemadmodum enim, ceu jam diximus, a panificis arbitrio penderet, utrum plus vel minus aquae farinae adspargere, adeoque magis aut minus solidam reddere velit massam: ita plane accidentarium est materiae panis, quod interdum minori, interdum majori cum labore subigatur & paratur. Sufficit nempe, aquam & farinam ita misceri, ut massa fiat pistoris instituto accommodata, proximamque materiam tali vel sali pani praebere possit. Unde Aristoteles Probl. sect. xx i, quaest. i, nulla *laboris* mentione facta, ad farinae & aquae misionem nude tantum requirit, ut fiat *τριψει και κινησει*, *versatu agitataque.*

XII. Tandem addimus, massam ex farina & aqua preparatam *ab igne percoqui debere.* Rationem in descriptione panis statim subjungimus, ut scilicet *crassior humor per calorem externum abso-*

matum

matur, & ad masticabilem nutritiamque consistentiam massa redigatur.
 Nimirum, quamvis massæ nondum coctæ etiam sua sit consistentia,
 illa tamen masticabilis & nutritia satis non est, cum de nutrimentum
 ratione sit, ut apte concoqui possit a ventriculi calore (juxta illud
 Aristotelis lib. II de anima, cap. IV, c. I. ἀναγκαῖον τοῦ φῆν
 δύνασθαι πικρῶς. ἐργάζεσθαι ἢ τὸ πικρὸν τὸ θερμὸν, omne alimen-
 tum necessarium est concoqui posse: operatur autem concoctionem ca-
 lidum) & vero calor ventriculi debilior existat, quam ut humo-
 rem & cruditates in massa nondum coctæ residuas absumere atque
 digerere valeat. Ut itaque massa aptius in corporis nutrimentum
 cedere possit, & non tantum masticabilem, sed & nutritiam confi-
 stentiam adipiscatur, igni adhibeatur necesse est, qui humorem pa-
 nis undique eximit, eumque, humore sublato, rigidiusculum relinquit,
 dicente Aristotele Probl. sect. XXI, qu. XIX. Confer ejusdem se-
 ctionis questionem XIII, ubi ait Philosophus, postquam panis igni
 commissus est, humorem evaporari, & quod in farina fursureum maxime
 est, deuri.

XIII. Atque hæcenus de natura panis in genere. Nunc ad
 specialem panis nostri eucharistici sive hostiarum considerationem
 descendamus, num illæ verus & proprie dictus panis sint, vituri.
 Contra eos itaque, qui negativam hæc tuentur, tale proponimus
 argumentum:

Quicumque definitio veri & proprie dicti panis competit, id est ve-
 rus ac proprie dictus panis,

Hostiæ definitio veri & proprie dicti panis competit,

E. Hostiæ sunt verus ac proprie dictus panis.

Minorem per singularum definitionis hæcenus explicatæ parti-
 am ad hostias applicationem probatum ibimus. Et primo qui-
 dem, quod genus in panis descriptione positum, nempe *alimentum*,
 in hostias optime quadret, vix operosa demonstratione indigere vi-
 detur, cum sane constet, placentulas istas esse substantias compositas,
 ex natura sui aptas ut in substantiam viventis converti possint, præ-
 tereaque cetera alimenti requisita, fusc supra abs nobis recensita at-
 que explicata, optime iis applicari possint. Argumentamur:

B 3

Omnis

Omnia substantia composita, ex natura sui apta ut in substantiam viventis physici converti possit, adeoque rei nutriendae nec omnino similis, nec prorsus dissimilis, est alimentum. Hostia est talis substantia, E. est alimentum.

XIV. Haec utur manifesta sint & satis clara, omnes tamen nervos intendunt adversarii, ut veritati a nobis assertae tenebras obfundant. Rosa cruciani in sylloge sua pag. 45. Hostia, inquit, non est alimentum, quia nemo unquam sub Sole, sive oriente, sive moriente, affirmare poterit, se hostia fuisse enutritum. Et pag. 71. 72. Hostia non alunt aut nutriunt, quia sunt nimium tenues, non sunt satis percassae, sunt lentae ac viscidae instar glutinis. Neque etiam ullum potest dari exemplum, quod hostia aliqui unquam fuerit enutritus. Ille qui hostia suam venditae operam, per octiduum vescatur hostia, ut alius veris panibus: ipso factio edocebitur, quam minutiae illae non modo non alant, & salubres sine, sed etiam admodum exitiales. Gemina his invenies apud Reformatos. Wendelinus Exercit. Theol. anti Gerhardiana c. 5. 8. Hostia, ait, Pontificia & Lutherana non est alimentum. Pistorum, quae, vel Pastorem nominat, qui pro alimento hostias preparat: gentem, urbem, homines nominat, qui panis alimentarii loco utantur nebulis & hostiolis Pontificiis. Tu ipse periculum, Gerharde, cum tuis Collegis & Commensalibus facito; pro pane cibario & alimentario per mensem tantum non nisi nebulis & hostiolis utimini. Equidem non dubito, quin cito reditutum vobis sit veri atque alimentarii panis desiderium, iique, qui, quod res est, ingenue fateri voluerint, quae stant nebulis & spumis istis moturi. Schönfeldius, im endlichem Berichte pag. 9. Er (Menzerus) mag zusehen/ wie er seine Oblaten für recht nahrhaftig Speißbrode aufgeben könne/ und ob er sich allezeit mit Oblaten (wo nicht allzeit) doch ein Monat oder zwey wolle speissen lassen. Zweifels ohne würde er alsdenn in der that besser/ als ich in Worten/ befinden/ wie nahrhaftig ihm dieselben seyn würden. Neue Zeitung von Berlin pag. 46. Ist derselben (Oblaten) wie viel du willst/ sie werden dich nicht sättigen oder nehren. Anatomia Marpurgensis pag. 115. Die Hostien sind; so gar Brodelos/ daß ein jeder hierzu (zur Sättigung) wol ein Schutbarren voll haben müste.

XV. Ue

XV. Ut rectius innotescat, quid veri falsive his antagonista-
rum effatis subsit, sciendum, quando de hostiis quaeritur, num reve-
ra alimentum sint, dupliciter id intelligi posse (1.) ut sensus quaesti-
onis sit; an quavis hostia, separatim sumpta, perfecte sensibiliter nu-
trire, famemque actu sedare queat, (2.) ut sensus sit; num hostiae
per naturam suam nutriendi vim & aptitudinem habeant, ita ut, si
in justa & debita quantitate sumantur, actu nutrant. Si priori
modo formetur quaestio (sicut illam formare videntur Rosseruci-
ani, quando ex eo, quod hostia *nimum tenuis est*, pag. 72. & *farina
nimum pusilla, atque ita minus sufficiens, ad eam concurrat*, pag. 45.
hostiam alimentum non esse concludunt) concedimus equidem, ho-
stiam isto sensu alimentum non esse; negamus autem, genuinam
alimenti naturam in eo consistere, ut quantacunque etiam illius por-
tio sensibiliter nutriat & famem pellat, cum ne vulgaris quidem pa-
nis, si in minori, quam par est, quantitate sumatur, id praestare valeat.
Ipse Wendelinus haec a nostris sita partibus, quando ad *verum panem
sufficere ait, si per naturam nutriendi vim habeat, quamvis ex accidenti
impediatur nutriendi actus*, Exerc. Theol. c. 17, §. 19. Johannes
item Maccovius, & ipse celeberrimus Reformati Theologus, libro
de Metaph. capite 11, nonneminem (ex sua schola haud dubie) qui
hostias nostras verum panem esse negaverat, quod materia non sit
in debita quantitate, *toto Caelo errare* scribit, cum etiam mica panis
(quae tamen saepe non in ea quantitate in qua Oblata) panis sit
& alimentum. Et qui aliter possent Reformati? cum
nec ipsi tantum panis porrigant sagulis communicanti-
bus, quantum ad actualem famis sedationem & corporis nu-
tritionem requiritur, & tamen contendant, *panem istum, quem pra-
bent, in natura sua consideratum, esse efficax corporis nutrimentum, &
idoneum cibi caelestis significandi symbolum*; ceu loquitur Wende-
linus Exercit. c. 17, §. 17. Quod si vero quaestio formetur modo
posteriori, omnino asserimus, hostias nostras & per naturam
suam nutriendi vim habere, & si in debita quantitate suman-
tur, actu nutrire, atque id, quod per calorem nativum ab-
sumptum erat, restaurare. Quod nutriendi vim habeant hostiae,
inde satis manifestum est; quod constant ex materia nutritioni aptis-
sima, de qua dicemus num, seq. Si vero dubites, an actu nutrant,
positis

possitis ponendis, fac periculum, & ipsa sic experientia refutabit istud
Berolinensium: *3ß der Hostien wieviel du wile / sie werden dich
nicht sättigen oder nehren/ eademq; in ruborem dabit autores Ana-
tomix Marpurgensis, scribentes: Die Hostien sind so gar Brodt-
loß / daß ein jeder zur sättigung wol ein Schuttern voll haben müste.*
Nec est quod ad contrariam experientiam provocent *eis exartias.*
illa enim si quid heic pro adversariis probat, certe aliud nihil probat,
quam quod hostiæ infirmius nutriant pane vulgari. Unde sane
nondum sequitur, eas plane non nutrire. Nutritio scilicet alia est
firmior & solidior, quæ communis panis, alia tenuior & subtilior,
quæ hostiarum. Itazymus Judæorum nutrebat & confortabat,
sed levius fermentato: famem etiam per septem dies sedabat, quod
nemo negare potest, etsi utilius id egisset zymites. Nausea, lentor,
insalubritas, quam toties in hostiis vituperat pars adversa, in com-
moditatem & injucunditatem cibationis inferunt, ipsam nutritio-
nem in totum non negant. Quod fratres Rosæ Crucis, hostiam
non esse alimentum, inde probare volunt, quia nemo unquam ho-
stiis fuit enutritus, ridiculum est, & refutatione indignum, si quidem
hoc volunt (quod utique videntur intendere. Conf. inter alia consu-
la *istius sylloges pag 49. 68. 83. 91.*) neminem usum fuisse hostiis
pro cibo ordinario & quotidiano, qualis alias nobis est panis noster
crassus & spissus. Certe si hæc consequentia militaret, pari Logica
haud difficulter inferrem, neque azymum istum, quo Salvator in
sacræ Cœnæ institutione usus est, fuisse verum alimentum: cum nec
ille communis & quotidiani cibi locum apud Judæos subinuerit. Ni-
mirum, ut *alimenti* rationem quid obrineat, sufficit si *ex natura-
li sua habitudine* nutritioni viventis destinatum sit; nec præcise requi-
ritur, ut semper nutriendi actus sequatur, nedum ut ordinarie ex eo
vitam sustentemus. Atque per hæc etiam satisfacit iis quæ Wende-
linus affert; *gentem, inquam, urbem, homines nominate, qui panis
alimentarii loco utantur nebulis & hostiis Pontificiis.* Quibus proim-
de nihil novi reponimus. Sicut nec illis prolixè refellendis immo-
ramur, quæ idem Wendelinus ibidem habet: *Pistorem, quæso, vel
Pastorem nominate, qui pro alimento hostias preparavit.* Ut enim
cetera, quibus hæc Wendelini argumentatio forte laborat, vitia
taccamus,

faceamus, quis non videt, ex intentione pistoris (Pastorum apud nos officium non est hostias præparare, sed præparatas communicantibus porrigere) de alimenti natura haud iudicandum esse?

XVI. Præterea in definitione panis mentionem fecimus materiæ ex qua paratur, farinæ nimirum & aquæ. Hæc materia quin etiam hostiis nostris competat quis dubitabit? Adest farina, & quidem triticea, quam *laudatissimam* esse & *lautissimam*, Plinius testatur locis num. IX laudatis; cui adstipulatur Barthol. Anglicus lib. XVII de propr. rer. nat. cap. CLIX, triticeam farinam appellans *purissimam & delicatam*, item *florem tenuissimæ formæ*, *mundissimæ*, *albissimæ*, *nobilissimæ*. Unde & ibidem de tritico, ex quo farina ista paratur, asserit, *hanc illud proprietatem habere pro cunctis granis, quod nutritibilis sit cæteris, propter similitudinem humanæ complexionis*. Quod etiam Aristoteles confirmat Probl. sect. XXI, qv. II, quando disputat: *cur cibus triticeus corporibus nostris competentior atque vescentior sit quam hordeaceus; & rationem subiungit, quia mediocrem habet lentitiam, quam cibus habeat oportet, quippe qui adherere conglutinariq; corpori debet, qua res non nisi lentore effici potest*. Quod vero & altera materiæ pars, aqua scilicet, in hostiis præsto sit, minutissimasque farinæ triticeæ particulas, se solis haud cohærentes, conglutinet, experientia constat. Hinc rursus argumentamur: Quicquid constat farina triticea & aqua, illi vera panis materia competit,

Hostia constat farina triticea & aqua; E.

Hostiæ vera panis materia competit.

XVII. Excipit Wendelius, de materia propinqua nullam controversiam esse, sed de proxima, quæ ipsi est farina & aqua, ita elaborata & disposita, ut requirit verus & alimentarius panis. Ad id autem requiri dicit (1) ut *justa quantitate commisceantur partes*, (2) ut *probe & cum labore subigantur*. Vide ejus Theolog. Christ. lib. I, cap. XXIII, th. XIII, & Exercit. anti-Gerhard. cit. §. II, atque confer Exerc. cit. §. 8. ubi scribit: *Massa hostiolarum in lebetæ aut olla cochleari leviter agitata, ante quam serramento inuncto & calefacto infundatur, eam habet consistentiam? an eam, quam habere veri & alimentarii panis massa solet? minime verò: instar liquo-*

is crassioris aut spumosi feri diffuit, ex farina defectu & aqua excessu, qui si in panis veri & alimentarii massa occurrerent, spem panis veri & alimentarii pensendi omnem tue quoque familia eliderent. Et pagina sequenti: Panis verè cibaricus & alimentarius (qui οὐρώριον & panis est, & proprie dictus, humane vitæ præsidium primum; indeque καρ' ἐξοχῆν cor hominis roborare dicitur Psal. 104. vers. 15.) pro materia habet farinam & aquam, non quocunque modo, sed legitima proportionem commistam, ita ut in alterutrius excessu vel defectu nimium non peccetur: neque leviter saltem commistam, sed & probe subactam, ut idonei & primarii alimenti dispositiones sortiatur, indeque formam accipiat panis veri, proprie dicti, & cibarici. Sic pagina 1653. Farina & aqua iusta & proportionalis mixtio, qualem requirit panis alimentarius, in hostiis non est: subactio, qualem veri & cibarici panis massa requirit, in spuma illa glutinosa non est, quamvis ad aliquam consistentiam à calido inuncto ferramento redigatur liquor ille glutinosus cochleari leviter agitato, Licet ergo concedat Wendelinus, hostiis competere materiam panis propinquam, farinam nempe & aquam, negat tamen iis competere materiam proximam. Cum Wendelino iterum hæc faciunt fratres Rosæ crucis, quorum hæc sunt verba in sylloge pag. 45. Farina nimium pusilla, & ita minus sufficiens, ad hostiam concurrat. Neque illa farina cum aqua ita subigitur, ut massa solida inde existat, verum materies liquida & fluida conficitur. Conf. pag. §1, 52. 90.

XIIX. Ut melius pateat, quid ponderis huic exceptioni subit, ante omnia constare debet, quid Wendelinus intelligat per verum & alimentarium panem. Aut ergo intelligit panem illum crassum & spissum, quem pro cibo quotidiano usurpamus, qui que alias panis cibaricus & usualis appellari solet; aut indifferenter quemlibet panem, qui per naturam nutriendi vim habet, & alimenti loco adhiberi potest. Si priori sensu vocem sumit, fallitur, quando putat, materiam proximam panis indifferenter sumpti esse farinam & aquam ita elaboratam & dispositam, ut requirit panis ille usualis, qui pro quotidiano cibo nobis est. Prout enim varia panis sunt genera, varii etiam sunt præparationis & dispositionis modi, ut nemini non liquet. Si vero posterius intendit Wendelinus, concedi-

mus

mus quidem, materiam panis proximam esse farinam & aquam, ita elaboratam & dispositam, ut requirit panis verus & alimentarius, h. e. panis qui revera alimentum est, & nutriendi vim habet. Sed tu ne Wendelinus perperam negat, hostiis competere materiam panis proximam: competit enim iis farina & aqua, ita elaborata ut requirit hostia, quæ utique alimentum est, velut evicimus num. xiii, seqq. Quod vero Wendelinus ait, ut materia debito modo præparetur, requiri, tum, ut justa quantitate commisceantur partes, tum ut probe & cum labore subigantur, ad id jam supra responsum est num. xi, ubi diximus, justam partium quantitatem non esse certa ratione definitam, nec semper eandem; sed determinari a panificis prudentia, & pro illius instituti materiæ que ratione variare. Neque ad omnem massam præparandam subactionem, quæ cum labore fit, necessariam esse; sed sufficere, si ita aqua & farina misceantur, ut fiat apta massa ad talem vel talem panem juxta panificis institutum constituendum.

XIX. Nonnemo ex Reformatis (teste Gerharo Tom. v, Loco de Coena, cap. vii,) materiæ hostiarum ideo dicam scribit, quod præter farinam & aquam accedit aliquid butyri vel alterius pinguedinis, quo instrumenta, quibus placentæ illæ conficiuntur, superficiei tenus illinuntur. Sed *ὕπερματὸς γίλατος* est iste homo, dum contra manifestam experientiam supponit, panis materiam ita esse ad farinam & aquam restrictam, ut, salva ejus essentia, nihil præterea accedere possit, cum constet, non raro in subactione varia insuper ingredientia, v. c. salem, aromata, herbarum semina, hujusque generis alia usurpare solere, quæ vel gratum pani saporem conciliant, vel alias ei qualitates largiuntur. Ita Plinius lib. xx Hist. Nat. cap. xvii meminit herbæ Gith, cujus semen gratissima panes condire ait. Et mox de aniso subjungit, quod panis crustis inferioribus subdatur. In specie vero de butyro, quod in panis præparatione adhibeatur, testatur idem Plinius lib. xlix Nat. Hist. cap. xi. Panis saliti mentionem injicit Aristoteles Probl. sect. xxi, qu. v. Quid, quod nonnulli hujusmodi condimenta essentialibus panis annumerare non dubitant? inter quos celeberrimus ille Ar-

gentoratenſium Medicus, Melchior Sebizius, lib. II de alimen-
torum facult. cap. I.

XX. Quæ in definitione panis amplius reſtant, pertinent ad
modum conficiendi panem; qui in eo conſiſtit, ut farina & aqua in
maſſam conglutinatæ ab igne percoquantur, & craſſiore humore per ca-
lorem externum abſumpto, ad unam maſticabilem & nutritiam conſiſten-
tiam redigantur. Omnia hæc hoſtiis noſtris competere experien-
tia reſtat. Unde denuo ſic colligimus :

Quicumque panis ita conficitur, ut farina aqua ſubacta, inque maſſam
conglutinata, ab igne percoquat, & craſſiore humore per
calorem externum abſumpto, ad unam maſticabilem & nu-
tritiam conſiſtentiam redigatur, illi verus panem conficiendi
modus competit.

Hoſtia ita conficitur; E.

XXI. Fratres Roſæ Crucis, etſi de modo conficiendi panem
ipſi nihil determinat, variorum tamen autorum hinc inde corraſis
teſtimoniis obtinere nituntur, hoſtiis genuinum modum pinſendi
panes non competere. Poſtquam vero de hac materia non pauca
ex Oribasio, Victore Trincavellio, Andrea Matthiolo, & Joh. Quer-
cetamo, adſcripſerant, tandem in hæc verba deſinunt pag. 62. *Hic
piſtor piſtorum, vel etiam Paſtor, ex ani-mo proferat ſententiam, utrum eo
modo pinſatur hoſtia, uti iam dictum. Nemo, niſi magiſterium artu ſue
negligere velit, affirmaverit.* Verum enim vero, in vanum ac ventum
diſputant illi homines, & longe rectius fratres ignorantæ quam
Roſæ Crucis ſe appellari poſſe vel hoc ipſo oſtendunt, quod neque
heic, neque alias in tota ſua ſylloge, ad ſtatum controverſiæ unquam
atrendunt. Quæſtio eſt, num hoſtiis competat verus panem con-
ficiendi modus? Illi negativam amplectuntur. Sed quomodo tu-
entur? In eo toti ſunt, ut probent, hoſtias non pinſi eo modo quo
panis cibarius & vulgaris pinſi ſuevit. Confer pag. 45. & 55. Qua-
ſi vero de eo heic controverteretur, aut unquam id abs nobis fuiſſet
negatum, vel ſaltem in dubium vocatum, ut opus ſit tot teſtimonio-
rum plaultra adverſum nos producere, nec ipſorum ſenſuum & ma-
niſeſtæ experienciæ teſtimonium heic ſufficeret. Probandum eras,
hoſtiis non competere modum conficiendi, quem verus (non præ-
ciſe

cise hic vel ille) panis sibi deposcit. Sed heicakum silent silentium, nec de tali modo quicquam afferunt aut definiunt. Quod si persuasi sunt, univertum panes pinlendi artificium circumscribi sola coctione quæ fit in clibano, (quo certe collineare eos necesse est, si adductis autorum testimoniis se tueri volunt) ludibrium merentur. Coctionem panis variis modis fieri & a panifice institui posse, tum experientia constar, tum a scriptoribus proditum est. Plinius, quando de variis panis generibus agit, inter alia etiam *a coquendi ratione* panes distingui asserit, indeque dici vel *furnaceos*, vel *artoptitios*, aut *in clibanis coctos*, lib. xix Hist. Nat. cap. xi. Et Barthol. Anglicus lib. xvii de propr. rer. nat. cap. lxxvii refert, interdum in cinere coqui panem, unde *subinericius*; interdum in clibano, unde *clibanarius* dicatur. Ita Adrianus Turnebus, lib. xiv Adversar. cap. v, *tria*, inquit, *panis erant genera, ex coquendi ratione: furnaceus, qui in furno coquebatur; clibanites vel testuaceus, qui in testu aut clibano; artoptitius, qui in artoptia assabatur.* Et paulo post: *Artoptitium quoque panem a testuaceo & furnaceo differre, auctor est Athenæus his verbis: ὁ ἀρτοπίκιος ἄρτος καὶ ἄρτος κλιβανικὸς καὶ φερνακὶς διαφέρει.* Adde Sebizium, qui lib. ii de aliment. fac. cap. i, *Locus, ait, in quo panes coquuntur, varius est. Secundum Hipp. l. 2. de diet. & Galen. l. i. alim. fac. c. 2. præcipue quadruplex: clibanus, furnus, craticula, locus subinericius. Hinc existunt panes κλιβανίται, ἰπνίται, ἐχάεσταται καὶ ἐγκροφίται.* Varius interim iste coquendi modus ipsi panis integritati nihil derogat: atque ita nec hostiæ nostræ e panum censu ideo eximendæ sunt, quod modo peculiari (quem mira diligentia describunt Rosæruciani, syll. pag. 56.) ferri scilicet candentis ministerio, pinluntur.

XXII. Atque ita, quod definitio panis hostiis nostris per omnia commodissime applicari possit, hætenus ostendimus, simulque adversariorum exceptiones in considerationem vocavimus. Superesset nunc, ut ceteris argumentis, quibus hostiæ ab adversa parte impugnari solent, obviam iremus. Verumenim vero, ut dicamus quod res est, illa sic comparata sunt, ut iis prolixè & operose examinandis immorari velle, nihil aliud sit, quam velle tempora perdere; cum præter meras nugas vix quicquam in recessu habeant.

C 3

Qualis

Qualis argumentatio, obsecro, qua in tua sylloge pag. 68. utuntur Rosæruciani: Hostiæ non dividuntur tanquam quotidianum alimentum, non apponuntur cibis ordinariis; ergo non sunt verus panis? Quasi vero hæc & similia ad panis essentiam spectarent, ut ex illorum negatione ad veri panis negationem procedere liceret: cum ne ipsi quidem vulgari & usuali pani essentialiter competant. Et si vel maxime ponamus (quod tamen falsissimum est) ista enumerata cum vulgaris & spissi panis natura ita cohære, ut nunquam ab eo abesse possint, quid exinde amplius sequetur, quam hostias non esse panem communem? quod sane a nobis non magis in dubium vocatur, quàm nivem non esse nigram, & ignem frigidum. Quæ ergo hoc probant isti fratres, cujus probationem nemo unquam ab iis postulavit? Id mirari subit, etiam Wendelinum partem aliquam Rosærucianæ hujus Dialecticæ suam facere, quando lib. 1 Theol. Christ. cap. xxiii, th. xiii, hostias nostras verum panem haud esse, inde probare satagit, quia *ad alios cibos non adhibentur*. Argumentum sane tali viro indignum! A nostro pendet arbitrio, utrum panem cum aliis cibis conjungere, num vero eo solitario vesci velimus; ac proinde ipsi pani prorsus accidentale est, nihilque vetat alterutrum ab eo, salva nihilominus manente ipsius essentia, abesse. Reliqua Rosærucianorum argumenta, aut verius nugamenta, non adscribemus, cum certi simus, ea non minus quam præcedentia lectori risum motura, aut etiam stomachum concitatura esse.

XXIII. Quæ a Reformatis, præterea quæ jam supra discussa sunt, adversus hostias urgeri solent, ea in unam quasi summam colligit Dissertatio monitoria, D. Hoen opposita, quando in hæc verba erumpit, p. 106. *Der Lutheraner Hostien sind kein recht Brodt/ weil sie die vollkommene Materi/ Form/ und Eigenschaften eines Brodts nicht haben. Denn sie bestehen nur auß einem wenig subtilen Mehl/ sie haben weder Rinde noch Krume eines Speisebrodts/ sie werden nicht gebacken wie Brodt/ sie haben keine gestalt wie Brodt/ sie riechen nicht wie Brodt/ sie schmecken nicht wie Brodt/ sie werden zur Mahlzeit nicht gespeiset wie Brodt/ sie werden nicht geschnitten wie Brodt/ nicht gessen wie Brodt/ nicht eingeschlungen wie Brodt/ sie*


ſie ſtilken den Hunger nicht wie Brodt/ ſie nehre nicht wie Brodt/ ſtär-
cken den Menſchen nicht wie Brodt. Mangelt ihnen alſo die Form
und die wahren Eigenſchaften eines wahren Speiſe-Brodts.
Quæ heic admixcentur in ſuperioribus jam perpenſa (quod enim
de paucitate farinae, famemque ſedandi, nutriendi, & confortandi
ineptitudine objicitur, examinatum eſt num. xv; ubi & de eo viſum:
an idcirco hoſtiis deneganda natura veri panis, aut alimenti, quod
nemo ordinarie pro cibo iis utatur;) quod vero de modo pinſendi
affertur, expendimus num. XXI) nolumus hoc loco cum tædio repe-
tere. Cetera quæ proferuntur hæcenus non tacta, partim cum
Roſæcrucianorum argumentis jamjam nobis viſis plane eadem ſunt,
partim iis perquam ſimilia. Verbo proinde respondemus. Va-
ria pani accidentia competere, interque ea inprimis numerari ſapo-
rem, colorem, figuram, nemo negat, niſi qui forte ſenſibus, ad talia
percipienda ordinatis, deſtituitur. Interim nec hoc diffiteri poteſt
autor Diſſertationis, accidentia illa nimium quantum in pane varia-
re. Aliter ſapit azymus, aliter zymites; quin ob diverſa etiam
ingredientia alium atque alium ſaporem panis recipit. De colore
itidem conſtat, quod ex materiae varietate ſit varius. Unde Ari-
ſtoteles diſputat: *cur panes frigidi albiores cernantur quam calidi;*
Probl. ſect XXI, qu. IV. *cur maſſa triticea candidior, hordeacea ni-
grior?* ibid. qu. XV. Nec minus de figura panis notum eſt, quod
non ſemper & apud omnes ſit eadem, ſed quidam panes rotundi
ſint & ſpiſſi, quidam oblongi; alii lati & tenuiores. Idem eſt
judicium de odore, aliisque panis accidentibus. Quando itaque
Diſſertatio Monitoria, hoſtias noſtras minime verum panem eſſe,
inde probare nititur, quod color, ſapor, odor, figura, ceteraque
accidentia in hoſtiis noſtris & pane vulgari atque craſſo (quem citra
dubium nomine panis absolute poſito, itemque nomine panis ciba-
rii, indigitat autor) eodem modo ſe non habeant, quilibet vi-
det, quo vitio argumentum laboreat. Scilicet, Reformati & Ro-
ſæcruciani heic eadem Logica utuntur, quando, oſtenſuri, hoſtiam
non eſſe verum panem, ita in probando ſe gerunt, ut tandem
ſalis emergat conclusio: hoſtiæ non ſunt panis vulgaris cibarius

vel


5
vel usualis. Quæ quam bene Orthodoxis opponatur, ex hæcenus dictis omni luce clarius esse arbitramur.


XXIV. Fixa idcirco ac immota stat nostra assertio, hostias seu placentulas eucharisticas proprie dictum & substantialem panem esse. Imo adeo illa vera est & certa, ut etiam ex ipsis Reformatis non desint, qui a sociis suis, quos adversus eam disputantes hucusque audivimus, divortium hac in parte faciant. Caspar Embdenus, in tractatu, quem vocat *Kurzen schriftmässigen Bericht*, pag. 16. 17. hostias pro vero pane agnoscit, rationem addens, quod alias intra de annos ecclesia verum sacramentum non habuisset. Fabricius in *Bericht vom Preussischen Kirchen-Glauben*, pag. 201. ait: *Die Oblaten / ob sie schon den Nahmen / Form und Gebrauch / so wie ein ander gemein Speißbrodt / vollkommen nicht haben / sind dennoch erlicher massen Brodt / und können dafür gehalten werden / sintemal die materia panis, das ist / Mehl und Wasser / da ist / und auch suo modo gebaeken / und unter andere Speiße zu Zeiten genüget werden.* Ipsa Anatomia Marpurgenensis, licet alias satis contempnim de hostiis nostris loquatur, (recognosce num. xiv) nihilo tamen secius pag. 88. 89. Sagen derowegen noch nicht / inquit, daß sie kein rechtes und wahres Abendmahl haben / dieweil sie die wesentliche beyde Stück / nemlich die H. Zeichen / Brodt und Wein / und das Wort der Verheißung / neben dem verheißenen Himmlischen Gut gehabt / und noch haben. *Mitiora sane hæc sunt & longe æquiora, quam ubi Münsterus placentulas orbiculares roties vocat ein falsch Brodt / & cœnam nostram ein vermeint und falsch Abendmahl.* Vide num. 1. aut quando autor Christianæ Concordiæ nos inculat, daß wir den Communicanten das Brodt / gleich wie der Pabst den Layen den Kelch / erztehen / und also dem H. Erren Christo sein Nachemahl zureissen und zustümmeln. vide num. 21. sicut nec respondent iis, quæ Wendelinus habet *Exerc. anti-Gerhard. cii, §. 28. Quot seculis ecclesia Pontificia, abrogato pane cibario & alimentario, ad eucharistiæ usum adhibuit nebulas istas, tot seculis in usu eucharistico verum panem non habuit: quod tanquam verissimum ultro concedimus.*


F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.







the scale towards document

os, Et aves mulceat avis as.
quis eris, ne sperne, Avicida, volucres
gregis teneri. gravis ira volantum est.
unt rostra tuo minitanti crimi;
portator fulminis olim
rum. Luit huic divina Prometheus
suo. Tityo jecur eruit uncus
ereae supra intentata Diana.
n vindex justissima mortem
Queritur densis Philomela sub umbris
etiam nunc murmurat illa Tyrantum.
onia stent inter fercla columba,
ardusq; nec asso corpore Gallus,
is cadat insons hostia mensis,
cina, tum nam creditur illud
veris longum clamantibus : Evax
ia, da fratrem parnamq; sororem;
tui jam ulciscere fata clientis.
rosis qui verritis aera pennis, *penna habet plumas.*
per solvite munera vestro.
ant nivei sua funera Cygni;
tectis cum corpora luce caerentum
epitante gruis prope Strymona luctu
ta est denata itare gregali.
lis Phenix apportet amomum,
locum Pancha aq; tura Et olentes

Helia-



Universitäts
Bibliothek
Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn747402167/phys_0033

DFG